ac deorsum erat quam fluctuantem, ac navigium in tur-
bido regat. Contra fortunam ille tenendus est cursus.
Multa accident dura adversa et obscura aspera que ipse com-
planet et molliat. Ignis aurum probat. Ardua per precipitia
virtutis via est. Bonis viris aliqua mala deus non pati-
tur: si removet puta scelera flagitia cogitationes
improbas libidinem cecam et alieno imminentem
avaritiam, ipsos tuetur et vindicat. Quare ergo ali-
qua dura patiuntur, ut exerceantur et alios pati doce-
ant. In exemplar ceteris aliorum nati sunt. Nemo tam
pauper est quam natus est. Contempne dolorem, aut ci-
to solvetur aut cito solvet. Contempne mortem, que
finit aut transmittit. Contempne fortunam, que animum
ferire non potest. Licet preterea fugere si pugnare nolu-
eris. In proximo mors est que cito venit que diu
timetur. Incipit Tractatus Senece de beneficiis.

Inter multos ac varios errores temere inconsul-
teque viventium optime liberalis, hoc unum
maxime eminet quod beneficia nec dare scimus
nec accipere. Male enim locata beneficia male debentur.
Beneficia interdum non damus sed proicimus. Nec
scio sit turpius negare an repetere beneficium. Ali-